

runt; Eorumque figuram Iusui Naturæ, non secus ac in grandine fieri putant, attribuunt.

§. III. Carnem pluere opinantur, quando crassa quædam, præpingvisque vaporum Materia, ardore Solis ita subacta, ut speciem carnis præ se ferat, decidit. Quem in modum fermè de carne fossili philosophantur, cujusmodi frustra ad vallum Erfordicum, juxta portam D. Andreae, occasione valli in altiore molem extollendi, haud exigua olim eruta fuisse, narrat *Andreas Libavius*, apud *Jonst. in Thaum: Nat: p. 180.*

§. 112. Pluviam lacteam, singulari Solis æstu, vaporem aqueum ita excoquente, ut ad summam puritatem perducatur, adscribunt; atque sic humor adumbratam saltem & apparentem lactis formam habet. *Coll. Conimbr. l. cit. p. m. 60.*

§. 113. *Berigardus in Circulo ad lib. Meteor. Arist. p. m. 578.* ubi pluvias prodigiosas ad vaporum & spirituum commistionem refert, de pluvia lactea, ut & sanguinea, hæc pronunciat: *Spiritus Benivini aquam candidulam reddunt, similique ratione, fortassis dicitur pluisse lacte, sicut & mistione halitus chalcantini, pluisse sanguine. Cùm aër ergo refertus est multis vaporibus, si spiritus accedat, aptus ad resolvendam banc mistionem, rursus vapores coëunt in unum, & cum spiritu sibi familiari labuntur in terram, quibus si junguntur decolorationes quædam, ex aliquâ contagione terrenâ, & aliæ Nature, quæ requiruntur ad pluvias prodigiosas, decidit aliquid simile carni, lapidi &c.*

§. 114. Atque hæc sentientibus pluvia prodigiosa non prodigium propriè loquendo, sed meteorum est concretivè consideratum & accidentaliter ab aliis diversum.

§. 115. Atque adeo vidimus plerasque plerorumque de prodigiosis pluviis iisque in specie quoque consideratis, sententias. Reliquum est, ut nostram quoque adjungamus, quod quidem in explanatione subjunctæ Definitionis, convenienter fieri posse, nobis pollicemur. Sit itaque

CAP. III.

TRACTATIO DEFINITIVA.

§. I. Hactenus aliorum exposuimus sententias; nostram docebit resolutio Definitionis pluviae prodigiosæ.

§. 1. Eam